

deantur quam generalia & latius patentia; probabile est, per verbum
שְׁמָעַ potius ad ea quam ad haec respici, posterioribus tamen non
 prorsus exclusis.

§. VIII.

Cum ergo ex contextu ostensum sit Mosen v, 15. non de pluribus loqui; vi §phi 2. concludendum est, vocem **נְבִיא** l.c. nequaquam collectiue sumendam esse, & eam ita sumi non posse. Hinc omnino vestigiis allegationum ex Act. III. & VII. insistendum, & vox ea in singulari **προφήτης** reddenda est. Et ideo, respectu quidem momentorum §§. 4. 5. 7. allatorum, non superest hoc dubium: Annon forte locus noster Mosaicus de pluribus subiectis agat, quamuis tantum de unico citetur ab Apostolis. Vox autem **נְבִיא** cum primis talem notat, qui ex inspiratione & iusu Dei futura annuntiat.

§. IX.

Pergo nunc ad aliud argumentum, quod viri docti, qui nobiscum faciunt, ex voce **כָּמוֹנִי**, quae in vaticinio nostro occurrit, depro-
 priomunt. Voces enim **מִקְרָבֶךָ מֵאַחֲךָ** praetereo, cum illae nil inferant, nisi quod Christus ex patribus oriturus & humana natura instruendus fuerit, quae quidem in se satis bona & ab aliis diu illustrata sunt. Occasione vero ipsius **כָּמוֹנִי** vrgent, nullum Prophetam Mosi extitisse unquam similiorem, praeter Christum. Ad hoc probandum prouocant ad Ep. ad Ebr., ostenduntque alia comparationis tertia respectu Mosis & Messiae. Tandem producunt locum Deut. XXXIV, 10., vbi: Nullus postea propheta in Israele surrexit sicut Moses. Denique ex his omnibus inferunt, subiectum textus nostri necessario esse Christum. Haec omnia valde pia & memoratu dignissima sunt. Infert autem **כָּמוֹ** qualemcunque similitudinem & conuenientiam rerum inter se collatarum. Exactam aequalitatem non notat nec per textum notare potest, quod facile colligitur. Respicitur ea ipsa voce Christus, & quidem potissimum ratione prophetici officii, quo quidem ille modo prorsus eminenti gauisus esse legitur. Et negari non potest, Mosen respectu eius tertii & caeteris paribus Christo adeo similem fuisse, vt similiorem vix queas inuenire. Magnificus namque propheta fuit, & Deus illum donis maxime peculiaribus illustrem praestitit. Christus, quamquam longe maior fuerit Mose, nihilominus tamen iure cum isto conferrī meretur. Habuit enim omnia illa Mosis dona, quamuis vt modo dixi, eminenter. De officio au-